

3,424  
447  
1764,2  
20  
//

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**IVRE RETENTIONIS**  
IN  
**CONCVRSV CREDITORVM**  
QVAM  
ASSISTENTE NVMINIS DIVINI GRATIA  
EX DECRETO  
AMPLISSIMI IVRECONSULTORVM ORDINIS,  
IN  
**ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA**  
PRAESIDE  
**AMANDO CHRISTIANO DORN, D.**  
ACADEMIAE PRO-CANCELLARIO  
ÆSAREÆ CELSITVDINI A CONSILIIS STATVS, IVRIS PVBLICI  
ET FEVDALIS PROFESSORE ORDINARIO ET FACVLTA-  
TIS IVRIDICÆ PRIMARIO ET H. T. DECANO,  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQUE IVRE CONSEQUENDI HONORES  
DIE III. NOVEMB. ANNO MDCLXIV.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
A V C T O R  
**CAROLVS ANDREAS HOEFER.**

---

KILONII, LITTERIS GOTTER. BARTSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

7.





DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
JURE RETENTIONIS IN CONCURSU  
CREDITORUM.

CAPUT PRIMUM  
DE RETENTIONE GENERATIM.

§. I.

**R**etentionis, de qua agere constituimus, non ita planam & expeditam esse in jure materiam, ut aetum agere videamus, notum est omnibus, quibus, leges civiles novisse, curae fuit. Etenim in romanarum legum libris universis, uti omnis positivae juris

A 2

pruden-

prudentiae sanioris praecipuo fonte, non reputatur titulus singularis, aut integrum caput, in quo omnia, saltem pleraque, aut praecipua, congrua huic materiae tractandae, congesta, ordineque luculento proposita obveniant. Dispersae potius & discerptae quasi sub variis titulis se nobis exhibent de retentione, ejusque jure, passim laciniae, quas si omnes & singulas exquirere, riteque connectere velit quisquam is sane laudem mereretur non solum, sed operam quoque gratam praestaret juris cultoribus, illis praesertim, qui in addiscendis juris praceptis vehementer desudare haud gestiunt.

## §. II.

Retentionis nequidem expressa semper fit mentio, ubi eam competere, adparet, quem ad modum *l. 3. §. fin. D. de pignor. Et hypoth.* Eadem ratione jure exerceri videtur retentio contra coheredes, qui de industria in judicium evictionis non venerunt. *l. 62. §. 1. D. de evict.*

Nec

Nec dubitandum est, eum, qui in alieno solo aedificavit, sumtuum causa habere jus retentionis, *l. 14. D. de doli mal. & met. except.* Idem censendum puto, circa legatum, incertae personae relictum & per errorem solutum, siquidem illud in retentione quidem, non vero in petitione, esse, constat per *§. 25. J. de Legat.* Non minus qui negotium debitoris absentis gessit, & pignora citra emtionem pecunia sua liberavit, utilē Servianam actionem sibi dari frustra desiderat, possessione tamen, id est, retentione, securus est. *l. 1. pr. D. quib. mod. pignus vel hypoth. solv.* Quae exempla, hujus rei demonstrandae gratia, adduxisse, sufficiat. E contrario alibi passim sparsimque vocabulum retentionis expressum offendimus, uti *l. 19. §. 2. D. de hered. petit.* quippe quae res clare designat, in quibus possessor retentionem habet, non etiam petitionem. Non minus *l. 14. §. 1. D. communi divid.* propter impendia,

in' fundum facta , si communi dividundo judicio agatur , aequitate judicij retineri posse fundum statuitur . Praeter ea *I.33.D. de condic.*  
*indeb.* cum , qui , cum existimaret , se heredem esse , insulam hereditariam fullisset , nullo alio modo , quam per retentionem , impensas servare posse , declarat . Porro *§.37.J. de Action.* retentione expresse nominatur , in causa dotis repetitione , obque eam dotis repetitionem minui , constituitur . Quod ipsum retentionis jus in hac causa licet mutatum & imminutum quodammodo sit a JUSTINIANO per *I.un. §.5.C. de rei uxor. act.* attamen penitus sublatum non est , sed restrictum saltem ad retentionem solam , propter impensas necessarias in rem dotaalem factas , quarum naturam ex *I.s. D.de imp. in rem dotal. fact.* & *I.56. §.fin. D. de jure dot.* accuratius perspicere licet .

### §. III.

Mirum videri utique poterat , quare materiae juris , tam late patenti , in conquirendis ordi-

ordinandisque legum libris, nullus honos attributus sit speciatim, cum alia tamen non solum, sed interdum etiam historiae juris puncta, usus forte exigui, haud perfunditorie proposita reperiamus. Ejus rei ratio paulo altius repetenda.

## §. IV.

Primo loco observatu dignum est, retentionem antiquo jure romano ponit tanquam remedium consequendi debiti naturalis, cuius non est petitio, seu, quod idem, non datur actio, legibus civilibus concepta & praescripta. Quemadmodum enim obligatio naturalis mera alio vinculo, nisi aequitate & pudore quasi naturali, non sustinetur: ita nullam esse eo nomine actionem civilem, manifesto consequitur. Semel iterumque leges, quas antea §. II. citavimus, speciatim id declarant, in primis vero Pomponius in *I. si. D. de conduct. indeb.* regulam quasi generalem statuit, dum,

ex

ex quibus, inquit, causis retentionem quidem habemus, petitionem autem non habemus, ea, si solverimus, repetere non possumus. Album nobis calculum adjicit JAC. CUJACIUS *Observat. lib. XVIII. c. X.* Itaque, cum debita, quorum causa retentionem exercemus, naturali nexu solo sustineantur, eorumque non detur consecutio, nisi facto retentionis interveniente, quod ipsum naturali aequitati subnittitur; jam puto, in promptu esse rationem, cur in libris juris romani huic titulo singularis locus non fuerit adsignatus, sed ejus mentio tantum interspersa passim, ubi ferebat occasio. Uno amplius exemplo rem illustrare liceat. In personam servilem nullam cadere obligationem, ULPIANUS *l. 22. pr. D. de R. J.* asserit. At vero PAULUS naturaliter etiam servum obligari, luculenter adffirmat *l. 13. D. de condit. indeb.* Quo nomine, aut qua actione, quaesito, a servo exigendum id, quod promiserat. Inane crit

erit nomen, nisi forte manumittatur, aut ejus nomine solutionem quis polliceatur. Accidat autem, eveniat utrumque: nihilominus semper deficit petitio creditori, neque tamen dengatur retentio, si aut ipse servus ex peculio, aut alius ejus nomine, solverit, aut pignus saltem pro eo dederit *cit. l. 13.*

## §. V.

Animadvertisendum porro est, retentionis atque compensationis inter se quandam, immo magnam esse similitudinem. Ipsa enim retentio, quamvis non sint termini ad compensandum habiles, tamen alia de causa vix ac ne vix quidem, exercetur, quam ut debiti cum credito fiat contributio, quem actum compensationis nomine insignimus. *l. i. D. de compens.* Etiam, quod natura debetur, venire in compensationem, docet *l. 6. eod. eadem* plane ratione, qua debitum naturale tantum retentione

B

tione

tione obtinetur. Quid, quod utraque aequitati naturali originem debeat, &, utriusque remedio submoveatur is, qui dolo petit; siquidem, qui aequitate defensionis infringere actionem potest, doli exceptione tutus est.  
*l. 8. pr. D. de dol. mal. § met. except. § l. 12. eod.* In utraque adhibenda requiritur debitum non minus reciprocum, quam liquidum, ob similitudinem rationis in *l. f. C. de compens.* propositae, ita, ut omnis deductio, reputatio, retentio, compensationis vicem quodammodo sustinere videatur. *VULTEIUS in cons.*  
*Marpurg. Vol. I. c. 24. n. 286.* Licet enim p<sup>r</sup>a compensatione majorem praefet in eo utilitatem retentio, quod in rebus plane diversis exerceri possit, cum compensatio locum non habeat, nisi in rebus ejusdem naturae, *arg. l. 4. C. cit. tit.* Compensationi contra amplior effectus tribuendus sit, quod ipso jure a die statim, quo utrimque debetur, ratione

ratione quantitatis concurrentis, debitum, obligationemque tollat, d. l. 4. cum retentio saltem exceptionem pariat, & remedium quasi praeparatorium juris sui obtinendi praebeat: eae tamen & si quae aliae sunt utriusque differentiae, non impediunt, quin in juris civilis commentariis retentionis materia titulo compensationis plerumque subnectetur.

## §. VI.

Sublatis illis, quae olim obtinuerunt, juris romani tricis, & juris prudentia ad aequiboni- que sensum magis, quam ad captiosas quae- stiones, fallacesque formulas, adcommodata, nihil jam interest, ex quo obligationis genere, naturali, an civili, retentionis jus derivetur, neque impedit quidquam, quo minus eo utamur, sive in promtu sit, sive deficiat, actio, ad rem nobis debitam consequendam. Itaque reten- tionem esse, statuimus, remedium legitimum,

B 2

quo

quo creditorem exigentem, eundemque debitorem nostrum ex causa probata, compellimus, ut nobis vicissim satis faciat. Creditorem simul debitorem nuncupavimus, ea significazione, qua in *l. 108. de V. S.* debtor intelligitur is, a quo invito pecunia exigi potest. Cum vero retentionis jus non solum in iis, quae pecunia numerata, seu moneta signata, solvuntur, locum habeat, sed ad alia quoque praestandorum genera, quae ad debita reciproca qualicunque modo referri possunt, extendatur: necesse est, ut pecuniae vocabulo non solum pecuniam numeratam, sed etiam omnia corpora, quippe quae appellatione pecuniae veniunt, complectamur, quod *l. 178. eod.* approbat. Creditoris autem vocem pari modo late, uti in *l. 11. eod.* occurrit, accipiendam esse, ILL. LEYSERUS *Med. ad P. Spec. 175.. M. II.* jam admonuit. Quibus rite praemissis, & is, quem recenset vir ILL. *l.c.* casus, de apocha in formula consueta exhibenda,

da, & reliqui omnes, ubi retentioni datur occasio, descriptioni nostrae non detrahent.

### §. VII.

Haud ita facilis expedita videtur quaestio: utrum retentio in debitis tantum connexis locum habeat, an in aliis etiam non connexis, exerceri possit? ad connexa sola eam restrinxerat GAILLIUS, cui contradixerat LAUTERBACHIUS, procul LEYSERUS hunc dissensum refert *Spec. cit. Med. V.* GAILLII sententiam amplexi sunt JCti Marpurgenses, testante GOEDDAEO C. xxiv, n. 284. Vol. I. Consil. Marp. CARPZOVI opinionem in eo secutus, de LUDEVIG, quae quidem opinio ante CARPZOVIUM adeo ignota non fuit; retentionem loco executionis privatae haberi, censet; CONS. HALL L. III. *Conf. s9. n. 5.* quod si supponamus, dubitandum omnino foret, num retentionis jus in connexis tantum-

B 3

modo

modo competet, siquidem ad executionem faciendam sufficit, demonstrasse, certum esse debitum, idemque liquidum, debitorem autem contumacem. Verum huic rationi insigne robur tribendum non esse, satis apparet, quare, missa illa, id tantum volumus notatum, neque causae, neque debiti reciproci perspicuus, inter debitum alterum, pro cuius securitate pignus datum, & alterum, cuius persecutio solo chirographo nititur. Soluta pecunia, cuius causa constitutum erat pignus, exhiberi id oportet, attamen jure retinetur, donec ratione mutui quoque chirographarii creditor iuris fuit satis factum. *L. un. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. ret. poss.* Motum ea propter ILL. LEYSERUM putamus, ut retentioni in debitibus conexis regulariter locum esse, statuerit.

### §. VIII.

Propter aequitatem naturalem ab initio *jure* romano retentionem concessam & adprobatam esse,

esse, antea exposuimus, ita, ut, licet ex pacto  
 nudo jure civili non detur actio, concedatur  
 tamen retentio, *l. i. §. 17. D. ad L. Falcid. l.*  
*10. C. de pac*t**. Contrarium reperimus in lega-  
 tario, qui, hereditate jacente, legatum propria  
 auctoritate occupavit, siquidem illi non per-  
 mittitur retentio contra heredem, ad restituendū  
 sibi legatum interdicto utentem, quia  
 legatario non deficit actio ad consequendum  
 legatum, ideoque dolus forte heredis ipsi no-  
 cere nequit. Sed neque actio deficit creditori  
 ad consequendum mutuum chirographarium,  
 nihilominus retinet pignus, quod pro eo  
 debito obligatum non erat, eo usque, donec  
 hujus quoque respectu ipsi satisfactum fuerit.  
 per *l. un. C. cit. tit. etiam ob chir. &c.* Neque  
 chirographario creditori dolus debitoris obesse  
 poterit, quia mutuam pecuniam simpliciter,  
 scilicet, sine constituto pignore, accepit, id  
 quod ex chirographo dato quovis momento  
 demon-

demonstratur: quam ob rem, mutuum simplex liberatione pignoris simul extinctum esse, non potest adserere, multo minus persuadere. Connexum inter se non praecise esse debere utrumque debitum, §. *prae*c.** monuimus, praeterea, soluto debito, cuius causa constitutum erat, pignus statim jure repetitur: *l. II. §. 3. D. de pignorat. act.* attamen nostro casu per *d. l. un. C. ex lege* retinetur.

### §. IX.

Mirum circa hujus legis rationem reperio Dd. dissensum. Quibusdam, pignus tempore prius constitutum esse, ejusque contemplatione mutuum simplex postea dedisse creditorem, placet, in qua opinione est H. DONELLUS *Tr. de pignor.* & *hypoth. c. 6.* quid autem opus tum erat chirographo? contra NEGUSANTIUS *de pign.* & *hyp. p. s. m. 4. n. 2,* chirographarium debitum prius, pignus autem loco securitatis licet specificie traditum non fuerit primo

primo credito, post ea constitutum esse opinatur. Attamen pignus sine omni conventione vix concipitur. Quid, quod, ubi traditum non est pro credito, pignus plane non meretur appellari. Denique CARPZOVIVS *P. II. C. 25.*  
*def. 25.* jus retentionis locum habere, censet, sive chirographarium debitum, ante sive post contractum pignus, extiterit. In aliam partem abit BRUNNEMANNUS *comment. in Cod. ad banc l. un.*; quippe qui supponit, non velle debitorem stare promissis, nec mutuum chirographarium solvere, propter eaque competere creditor i pignoris retentionem. Optime hac ratione appareret debitoris dolus, ob quem jure retinetur pignus. Sed dubito, an propositum dolosum in reluendo pignore statim declaraverit, quin potius sedulo dissimulasse debitorem, opinamur. Quod si dissimulaverit, an propter suspicionem solam, &, si forte solvendi mutui chirographarii dies vel nondum venit, pignus, nexus liberatum alias, tamen retinendum?

C

§. X.

## §. X.

Si nostram hac de re sententiam proferre licet, in decisione GORDIANI *l. un. C.* exten-  
sionem juris antiqui circa retentionem adhibi-  
tam esse, statuimus, ita, ut non solum obliga-  
tionis naturalis causa, cuius §. 4. e Digestis  
exempla deditus, ubi actione destitutus erat  
retinens, sed etiam propter debitum civile, cuius  
gratia civilis actio parata est, exerceri possit.  
Singularis plane ea videtur constitutio, neque  
similis alia in libris juris romani reperitur. Sola  
illam aequitate niti putamus, adeo, ut stricto  
juri quodammodo detrahatur, causamque mutatae  
propria auctoritate possessionis, contra *l. 33.*

*§. 1. D. de Usurp. & usuc.* probet. Attamen  
manifesta apparet aequitatis ratio, ubi creditor  
jus retinendi rem debitoris, cuius forte con-  
ventio difficilis alias & sumtuosa foret, sive  
causa connexa & cohaerens sit, sive minus,  
tribuitur, modo vitio non laboret possessio rei  
reten-

retentae. Similis est ratio in *l. 12. D. de vi § 5.*  
*v. a.*, ubi propter justam & probabilem causam  
 possessor, contra domini voluntatem, posses-  
 sionem continuans, non peccat. Itaque con-  
 cludimus, retentionem pignoris, nexus jam so-  
 luti, pro alio mutuo chirographario ex *l. un. C.*,  
 non esse singulare privilegium, ad hunc casum  
 solummodo restringendum, sed extensionem  
 potius juris retinendi, ad alias quoque casus,  
 ob similem aequitatis rationem, admodadan-  
 dam. Nobiscum consentire videretur *M E V I U S*  
*P. II. Dec. 114.* ubi hanc *l. un. C.* etiam eo ex-  
 tendi censet, ut, cui ob unam causam retentio  
 competit, ei etiam ex alia, donec debitum sol-  
 vitur, retinere liceat; nisi sibi mox contradici-  
 ceret, dum *P. cad. Dec. 309. n. 10.* retentionem  
 ex alia causa ejus, quod ex alia restitui debet,  
 in jure improbatam esse, adfirmat per *l. 25. §. 1.*  
*D. sol. matrim. quem. d. p.* Sed disparilis  
 utriusque luculente patet, ut verbis parcere

C 2 possi-

possimus. BERGERUS vero in *Oec. J. L. III.*  
*Tit. XV. p. 883. not. 9.* nostrae sententiae adstipulatur, posita generali regula: Quoties debitum, cuius nomine species retinetur, est liquidum, toties jus retentionis indistincte locum habet.

## §. XI.

Secundum hanc regulam judicatum arbitramur casum, qui memoratu dignus videtur. Titius debebat ex mutuo chirographario 50 solidos Maevio, debebat idem Sempronio 30, cuius debiti causa pignus dederat. Profectus erat Titius, rebus secum ablatis; miserat paulo post Maevio 30 ut pignus a Sempronio lueret, sibique statim exhiberet. Luit pignus Maevius, sed retinet; quod aegrae ferens Titius, illum convenit ad restitutionem pignoris, quod mandati occasione acceperat. Hic autem, demonstrando debitum ex chirographo, retentionem

tionem sibi competere contendit. Dies quidem nondum venerat solvendi mutui, attamen, quod Titius interea domicilium forumque mutaverat, neque fidejussorem reperiebat, jure retinere Maevium, pronuntiatum est.

### §. XII.

Multo latius patere jus retentionis quam pignoris, omni sane dubio caret. Etenim praeter pignus, & sine eo, rem debitoris retinere licet; etiamsi utrumque misceri videatur in iis casibus, in quibus leges tacitam hypothecam constituunt, cuiusmodi locatori tribuitur in bonis a conductori illatis, donec locationis merces solvatur. In primis in cessione generali alterum quid praestet, jam paucissimis dispiciendum, ubi acturi sumus

JURE RETENTIONIS IN CONCURSU  
CREDITORUM.

Moto creditorum concursu parem esse omnium conditionem constat, *i.e. §.7.D. quae in fraud. cred.* ideoque bona cedentis, quocunque titulo veniant, omnibus censeri quasi communia, nec quidquam, tamquam suum speciatim, adserere posse quemquam, donec lis de jure uniuscujusque decisa fuerit. Suspenderi igitur jura hypothecae, pignoris specialis, retentionis, eosque, concludimus, remque seu speciem, licet summo jure retentam, non tollere aut excludere curam creditorum communem. Attamen eadem cura communis jura, bono titulo quaesita, plane non interimit, sed ita tantum dirigit, ne reliquis noceatur.

## §. XIII.

Securitas" creditoris, quam dato pignore consequitur, in eo praesertim consistit, ut possesso

sessio rei oppignoratae in ipsum transferatur.  
 In hoc utique pignus, & nuda retentio, jure  
 facta, conveniunt, siquidem possessione rei  
 retentae creditor non minus securus redditur,  
 idque tum maxime, ubi supponere licet, inter-  
 esse debitoris, ut rem suam recuperet. Qua-  
 propter nuda ejusmodi retentio etiam quasi pi-  
 gnus appellatur in *I. 13. §. 8. D. de act. emti & v.*  
 Ceterum, praeter solam nudamque possesso-  
 nem, mera retentio jus singulare non tribuit in  
 re possessa, ideoque in concursu creditorum  
 possessori parum aut nihil utilitatis praestat,  
 quin potius exhibere rem debet curatori com-  
 muni, & post ea debiti sui loco congruo inter  
 reliquos creditores periculum subire. Etenim,  
 praeter possessionem, neque ex conventione  
 cum cedente, neque ex lege, quidquam juris  
 adquisivit, ex quo credito suo rem detentam  
 speciatim surrogari, contendere possit. Ne-  
 que jus retentionis, sive velis contra concredi-

tores,

tores, sive contra curatorem communem, in concursu aequo locum habet, atque contra primum debitorem, propter *l. un. C.* etiam propter. Dolus enim, si in debitore vel solum praesumatur, non praesumendus est in judice, cuius tamen auctoritate in concursu creditorum omnia peraguntur. Neque par omnium conditio patitur, ut unus, qui mere possidet, rem subtrahat curae communi, utilemque administrationem in ea excludat. Denique necessitatem offerendi, concreditoribus non imponere meram nudamque retentionem, ex adductis manifesto consequitur. Cum vero possessio civilis rata appellatur propter ea praesertim, quod animo quoque exerceri atque continuari possit, etiamsi aeterno corporali rei non incumbamus, aut possessionem adeo celemus: *l. 6. pr. D. de acqnir. v. a. p.* Retentio non minus illam imitari, animoque continuari poterit, quare rei, olim nude retentae, at cum reservatione juris cura-

curatori communi post ea exhibitae, non tolli  
plane & interimi jus statuendum, modo illud in  
progressu litis, insignem utilitatem secum ferret.

## §. XIV.

Quodsi vero retentio non nuda solum me-  
raque rei possessione nititur, sed alio quoque  
jure, ex conventione, contractu, aut lege ad-  
quisito sustinetur, tum majori quandoque  
commodo, eam in concursu creditorum vesti-  
tam deprehendimus. Evidem dubitari po-  
terat, num jus in bonis cedentis omnibus cre-  
ditoribus commune, & communis eorum cura,  
per curatorem, ipsorum consensu constitutum,  
gerenda, jure retentionis tolli possit, in tan-  
tum, ut una alterave res, aut fundus eximatur,  
& separatim habeatur, quin potius omnia &  
singula bona debitoris, & quae bonorum no-  
mine veniunt, contribuenda, & in communem  
massam inferenda sint, singulari cujuscunque  
jure integro incolumique servato?

D

## §. XV.

## §. XV.

Enimvero legem, conventionem aut contractum supposuimus, ut retentioni in concursu creditorum locus esset. Itaque propter legem expressam, uxor in bonis mariti cedentis retentionis jure utique gaudet, usque dum dotem revera numeratam seu illatam consequatur integrum. Quae enim *omnem* habet praerogativam, & contra quam *nemo* creditorum mariti, qui vel anteriores sunt, potiorem causam per hypothecam vindicare potest, uti declarat *I. 30. C. de jur. dot.* ea speciali constitutione a reliquorum omnium communione exemta est, neque accidere potest, ut jus ipsius, concreditorum impetionibus, reddatur dubium. Quamvis enim, de hypothecis solum tacitis, tempore prioribus, hanc legem disponere, quidam, BALDI auctoritate forte commoti, statuerint; contrarium tamen animi sensum testati sunt ob generalia legis verba, Judices

ces in suprema Imp. Camera, uxoriique jus  
retinendi propter doteim illatam, contra  
crediteores, hypotheca non solum tacita, sed  
etiam expressa anterieore munita, competere  
pronuntiarunt, id quod refert MYNSINGER  
*in Observ. Imp. Cam. Cent. IV. obs. 13.*

## §. XVI.

Habet utique haec retentio eum effectum,  
quem illi in definitione nostra §. 6. attribuimus,  
scilicet, ut uxor ea adhibita, obtineat id, quod  
sibi praecipue debetur, seu, quod idem est, ut  
crediteores mariti, eosdemque suos debitores,  
compellat, ut sibi vicissim satisfaciant. Ita-  
que conclusionum loco elicere fas erit, 1) Non  
posse uxorem retentionis jure amplius uti,  
quam ad securitatem dotis, ejusque fructuum,  
sufficiat. Sin igitur mariti obaerati bonis ea  
superentur, reliqua ad massam communem re-  
digere compellitur. 2) Imponi concreditoribus

D 2                    necessi-

necessitatem offerendi, si malint, ut uxor retinens cedat, &, omissa detentione, omnia mariti bona creditorum administrationi mere subjiciat: &, si oblata a creditoribus securitas fuerit idonea, cedere uxorem omnino debere, quia finem, retentione adhibita sibi propositum, obtinuit, quo facto, retentionis jus cefsat. GAILLIUS *Observat. L. II. Obs. 92.*

*n. 12.* Conf. MEVIUS P. IV. Dec. 308. Ut tamen eapropter uxor non obtineat potius jus, quam quod antea habebat, sed inter reliquos Creditores secundum privilegium in legibus illi datum sit collocanda & exspectare necessarium habeat, an massa bonorum sufficiat, ut juxta ordinem, in sententia prioritatis praescriptum, spem sibi facere possit, ut aliquid consequatur. Reliqua, quae huic materiae tractandae plerumque adduntur, omittimus, utpote a proposito nostro aliena.

### §. XVII.

Propter impensas, in rem locatam factas, si quidem ejus commodi augendi gratia factae sint, retineri posse fundum a conductore, e

L. 20.

I. 20. D. de acquir. v. a. p. arguimus. Quod si accidat, ut ante finitum locationis terminum bonis cedat locator, nonne contra creditores retentionis jure uti poterit conductor, donec de impensis sibi satisfaciat? Quis dubitaret? Ubi porro, ipso adhuc possidente, fundus de novo locandus, utrum melior sit causa jure retinentis, & hoc titulo possidentis, quam cuiusvis alterius, adfirmando decidit, MEVIUS. P. IV. D. 308. & concludit, possessori retinenti prae ceteris offerendam esse conditionem. At vero obligationem creditorum ad offerendum, egregii commodi participem facere possidentem, non est opus, ut argumentis speciosis evincamus. Aequae enim justaeque conditiones oblatae id omne simul efficiunt, cujus causa retentio introducta, jureque approbata est, & quod illius ope tandem consequi conamur, videlicet, ne, titulis nominum irritis, inani spe eludamur, reique familiaris detrimentum patiamur.

### §. XVIII.

Bona cessa in concursu creditorum vicem cedentis quodammodo subire, adserimus potius

D 3

ferio,

serio, quam juris fictione persuademos. Neque enim exigi nomina, neque debita expungi, neque deduci rationes, deprehendimus, nisi cedentis titulo, jure & obligatione. Quemadmodum vero omnes, quos sibi obstrinxit, ut stent promissis, postulamus, ita vicissim eos, quibus se obligavit, indemnes praestare tene-  
mur. Quare a conductore praedii pactam cum cedente mercedem, quotannis flagitare, fas est; at injustum foret, mutati domini simula-  
tione, quasi inter creditores & conductorem nihil convenisset, eum velle extemplo contra-  
ctu exuere, & e fundo expellere. Non hoc solum, sed altero etiam casu, si pendente concursus processu, creditores praedium ven-  
derent, conductorem jure retinere arbitramur possessionem usque eo, quoad sibi de damno,  
oblatis acquis conditionibus, caveatur: nisi forte ipse cedens jus vendendi liberum stipula-  
tus fuerit.

§. XIX.

## §. XIX.

Ea quidem, quae adhuc recensuimus, exempla retentionis in concursu creditorum, non a solo meroque retinendi jure, uti jam ante declaravimus, sed ab expressa partim lege, partim e legum ratione, aut e contractu, altero retentionem vel confirmante, altero illi saltem stipulante, proficiisci patet. Quod autem ad nudam conventionem attinet, qua retentionem non minus, etiam in concursu creditorum, effici posse, §. 14. posuimus, id exemplo amplius illustrare, operae erit pretium. Mercator in mercibus, ipsius curae, scilicet ut vendantur, commissis, retentionem jure exercet, moto concursu creditorum contra committentem, quam primum literarum cambialium, a cedente ad ipsum directarum, solutionem expendit: wann er trassirte Wechsel-Briefe bezahlet hat. Non intercessit inter utrumque expressa conventionio, non emtae sunt merces, non datae in solutum,

solutum, non addictae, neque pignus in eis constitutum est. Alter fidem alterius fecutus, literarum cambialium nomina in se recepit, & extinxit. Quonam jure, ut reliquos creditores vincat, ipsi succurritur? Non putamus hoc fieri ob tacitam hypothecam, utpote ad quam constituendam legis requiritur auctoritas. Praeterea obesse videtur §. 41. *J. de rerum divis.* vi cuius arguere licet, quod is, qui fidem alterius solam, missa re, fecutus est, actione tantum personali jus suum persequi possit & debeat.

### S. XX.

Esse quaedam singularia mercaturaे, quam emtionem venditionem negotiatoriam quoque dicunt, nemo ignorat. Maxime singularis occurrit usus, negotiis gerendis adhiberi solitus, Handlungs usance, quem probe novisse omnes decet mercatores, licet ejus rationem saepius reddere nesciant aliam, quam morem receptum & probatum. Ad ejusmodi usum omnino refer-

refertur, quod is, qui alteri merces ad distra-  
hendum concredidit, paulo post, quam illae  
in ejus custodiam venerunt, literarum cambia-  
lium solutionem ab eo desideret, sive merces  
missas jam vendiderit, sive integræ & intactæ  
jaceant. Ita agitur, quia moris est, quem  
nemo mercator sequi renuit. Nobis, quibus  
non congruit, morem seu usum, rationi repu-  
gnantem, aut sine ratione receptum, probare,  
officii instar, incumbit, ut in consuetudinis  
rationem altius inquiramus. Itaque videtur  
tacito consensu inter mercatores convenisse, ut  
merces concredite pretii, argento signato ex-  
pensi, vicem sustinerent. Hoc ubi supponi-  
mus, mirum non amplius videtur, quod is,  
qui cambio satisfecit, in concursu creditorum,  
quod ad merces sibi missas, omnibus praefera-  
tur; si quidem eas plane retinet, quoad id,  
quod sibi debetur, consecutus fuerit integrum,  
nec quidquam prius, neque magis, restituere  
tenetur, quam quod eam summam forte exce-  
dit.

E

dit.

dit. Ita disponit Ord. Proc. Sax. rec. Tit. IV.

§. i. Ista quidem specialis seu provincialis tantum lex est, attamen, similem casum in aliis emporiis extra Saxoniam eodem modo decisum iri, non dubitamus. Forma & modus, quem in conficiendis rationum libris mercatores ubique observant, nobis persuadet, esse utique eam, quam dedimus, usus rationem. Namque in illis a capite ad calcem non apparet titulus quidam praecipuus, praeter titulum *accepti*, cui e regione in plaga proxima respondet titulus *expensi*, debet und credit. Ex quo consequi arbitramur, non statui discriben inter pecuniam mutuam, cambialem, adsignatam, & inter merces emtas venditas, permutatas, ad distrahendum datas, sed omnia (excepto deposito, cui inter rationes mercatorias locus non est) sibi invicem indistincte substitui, & in subducendis rationibus compensatione promiscue exaequari: propter eaque merces, licet inemtas

inemtas & extantes, loco pretii, earum distra-  
ctione accepti, aestimari, & pro cambio so-  
luto ante omnes retineri.

## §. XXI.

Dari quidem posse plures casus, praeter re-  
cenitos, ubi jus retentionis in concursu credi-  
torum competit, non negamus, quos tamen,  
brevitatis & compendii necessitate adacti, in  
praesenti praetermittimus; id saltem retulisse  
amplius sufficiat, tacitam hypothecam, in bonis  
a creditore bono titulo possessis, ipsa lege consti-  
tutam, haud exigui momenti aestimandam esse,  
quo facilius retentio exerceatur, qua de re ele-  
ganter differit NEGUSANT. *de pign. & hypoth.*  
*P.II. membro 3.,* in primis, si hypotheca expressa  
judiciali, & forte tempore priore, ipsius juri non  
detrahatur. Facilius impetrari, adeoque crebrius  
offendi possessionem pignoris in re mobili, omni  
contradictione exemptum esse, censemus; quare  
plerosque de jure pignoris traditi & posselli,  
sollicitos observamus. Verum enim vero in

E 2                          *hujus*

hujus rei disceptatione iterum in partes diver-  
fas abeunt, aliis, possidentem, moto credito-  
rum concursu, pignus traditum sine discriminē  
reliquis creditoribus omnibus jure anteire, eam-  
que ob causam, donec ipsi ex affe satisfactum  
fuerit, retinere posse, contendentibus: aliis,  
ejusmodi possessorem prae ceteris frui jure praec-  
cipuo, negantibus, quippe quem, pignus potius  
exhibere, massaeque communi inserere,  
oporteat, pronuntiant: rursus alii unam alte-  
ramue sententiam variis limitationibus restrin-  
gunt: alii denique, medium quasi viam ince-  
dentes, pignori tradito & possesto justam aucto-  
ritatem, legitimumque commodum inhaerere,  
concedunt, dummodo in hoc negotio aqua  
omnium ratio habentur.

## §. XXII.

Ne actum agere videamur, in enumeran-  
dis Dd. opinionibus diversis aut contrariis proli-  
xiorem operam haud impensuri, elegantem  
Consul.

Consultiss. SCHMIDII dissertationem (\*) non commendare non possumus, qui singulorum ea de re judicia recensendo, omnium rationes, legibus de promtas, examinavit. Aequitatem cum mediocritate optime conjungere videtur ILL. LEYSERUS, statuens, creditorem, pignus possidentem, illud retinere, si quidem appareat, ipsi aut alium non anteponi, aut eum saltem inter praecipuos collocari: at possessionem ipsi non prodeesse adversus alios credidores, antiquiore hypotheca munitos: *Med. ad Pand. Spec. 231. med. 2. & Spec. 486. med. 1.* Quidquid circa hanc rem leges romanae definiant, si vel decidendis causis maxime idoneum, & bonis rationibus suffultum esset, in Germania minus sufficeret, propter mores patrios, & quae ex

E 3 iis

(\*) *de jure retentionis circa pignus, post motum concursum in tantum cessante. hab. Jenae, 1759.* Cui addendus JO. FLORENS RIVINUS in *diss. de jure pignor. mot. concursu* & JO. HENRIC. MEIERUS *de eo, quod moto credit. concursu, circa pign. in cuius possess. justum est.*

iis successu temporis natae sunt, leges, provinciales aut statutarias, ubique obvias, &, quod ad creditorum concursum attinet, a romanis non minus saepe recedentes, quam inter se dissidentes: e quibus coronidis loco, ea praecipue paucissimis ponderare animus est, quae in Statuto Hamburgenſi hac de re ordinantur.

## §. XXIII.

Veteres Germanos, priusquam leges romanae illis innotescerent, hypothecas conventionales ignorasse, a pluribus jam observatum est. Prima forte, ni fallor, earum mentio fit *in CAPITULAR. CAROLI M. lib. II. c. 29. (\*)* Pignus autem constitui haud aliter solebat, nisi vera traditione rei in manum creditoris. Invecto paulatim jure romano, seu eo saltē admixto, cum pignore germanico hypotheca quoque romana misceri coepit. Quaedam tamen vestigia moris antiqui circa jus pignoris passim

passim deprehendimus, quo pertinet insigne  
 discrimen effectus, a pignore vere tradito &  
 posseſſo, aut non posseſſo, derivatus. Primum,  
 pignus constitutum, *P. III. Tit. IV. Art. 5.*  
 STAT. LUBEC. ein handhabend Pfand ap-  
 pellatur, eique specialis praerogativa expreſſe  
 tribuitur, ſcilicet, ut is, qui pignus ſibi tradi-  
 tum vere poſſidet, a nemine poſſit depelli,  
 neque poſſeſſionem ulli cedere cogatur. In  
 STATUTO quidem HAMBURGENSI eadem  
 diſpoſitio claris verbiſ non continentur, verum  
 eandem tamen mentem, paremque ſenſum eſſe  
 non dubitamus, quia *P. II. Tit. IV. Art. 2.* poſ-  
 ſeſſioni praecipuum aeque juſ addicitur. Ob-  
 ſervatu dignum eſt, primo, poſſeſſionem pi-  
 gnoris ab ejus traditione aeftimari, qua facta,  
 creditor illud poſſidere cenſetur, fiue rem pi-  
 gnori datam in ſuam cuſtodiam reſepeſerit, fiue  
 illam in aedibus debitoris reliquerit. Ab hoc  
 enim aetū creditor pignus ſuum omni, quo li-  
 buit,

buit, tempore apprehendere, inque suam do-  
mum inferre potuit, secundum sententiam  
JCtorum Helmstadiensium apud LEYSERUM  
*in Med. ad. P. Spec. 223. med. 2.* quamvis JUS  
LUBECENSE *art. V. & VI.* hoc saltem tunc  
approbasse videatur, quando debtor in posse-  
sione ejus rei vel manet, vel eam recipit.  
Deinde notamus, facto debitoris vel doloso  
ubi ejusmodi possessione creditor excidit, jus  
etiam pignoris posselli, des handhabenden  
Pfandes, dissolvi, quia illud a tertio, qui ejus  
possessionem bona fide nactus est, recuperare  
nequit. Num tam amplio, tamque eximio jure  
possessionem pignoris extra concursum credito-  
rum solummodo ornatam, suspicari licet, in con-  
cursu autem frustra ad illud provocari? quin po-  
tius ejusmodi pignus, modo sit ein handhabend  
Pfand, in concursu a possessore summo jure reti-  
neri, eumque a nemine concreditorum de jure &  
posse-

possessione pignoris sui posse depelli, licet non ex Jure Romano, tamen ex statuto judicamus, quod hac ratione omnem dissensum, contradictionem, altercationem, quae alias juris romani partim dispositione non adeo clara, partim ejus calumnia, in causis exhibitionis, sive retentionis pignorum oriri et ali solet, praecidit; quod ad jura hypothecarum legum romanarum auctoritatem adprobando.

(\*) vid. JOACH. FRICCIUS de differ. Juris Rom. & Germ. circa pign. in manus traditum.


### §. XXIV.

Denique e P. II. Tit. V. Art. 3. STAT. HAMB. elici potest alias casus, ubi juri retentio-  
nis sine omni dubio locus erit. Venditori, qui bona fide merces tradidit emtori dolose deco-  
quenti, et paulo post aufugienti, moto credito-  
rum concursu, primus ante omnes locus adsig-  
natur, ad recuperandas merces traditas, in aedi-  
bus fugitivi adhuc existentes. Quodsi forte  
venditae, sed nondum traditae fuerint, idque  
manifesto constaret (quod facilime evenire po-

F

test

test in emporiis, ubi emtiones venditiones mercium opera distractorum, jure jurando obstritorum, geschworne Mäckeler, peraguntur) tum utique dominium earum mercium in emtorem translatum foret. Emtiones enim venditiones, distractorum publicorum interventu celebratae, ratae sunt, adeo, ut ab iis resilire non liceat alteri contrahentium; immo, parata pecunia emi dicuntur vulgo, quorum pretium elapsō mense integro demum solvitur. Si igitur reliqui creditores eas merces, uti bona decoctoris fugitivi, ad massam, quam dicunt, communem revocare contenderent, multo minus essent audiendi, quippe eas vendor retineret facilius, quam recuperaret. Sed, si decoctor eas iterum statim vendidisset tertio, hunc autem ad primum venditorem, ut ab illo traderentur, remisisset, et is traditionem adeo pollicitus esset ante fugam impostoris: numne et eo casu retinere posset? jure posse putamus. Istud tamen negotium, uti creditorum concursum non tangens, amplius excutiendum neque permittit temporis angustia, nec rei exigit necessitas.



## SERIES CONTENTORUM.

Retentionis materiam ordine cohaerenti in libris jur. rom.

non tradi §. 1.

Neque expresse ubique nominari, ubi de ea agitur. §. 2.

Quare id eveniat? §. 3. 4.

Eius doctrinam hodie plerumque addi titulo de compens.  
§. 5.

Definitio retentionis §. 6.

An in reciprocis debitis, inter se connexis, tantum locum  
habeat? Quod negatur. §. 7. 8.

Dissensus circa rationem l. un. C. etiam ob chir. deb. §. 9.

Eam sola aequitate niti. §. 10.

Casus ita judicatus. §. 11.

Transitio ad concursum creditorum §. 12.

Meram retentionem, sine alio titulo, in concursu credi-  
torum nihil operari §. 13.

Etiamsi non interimatur ejus jus §. 14.

Exemplum retentionis in concursu competentis ex legis  
dispositione §. 15.

Eius effectus. §. 16.

Aliud exemplum retentionis ex lege §. 17.

Item

Item propter contractum. §. 18.

Eiusmodi exemplum propter nudam conventionem. §. 19.

Quaedam singularia de usu mercatorum. §. 20.

Differens de retentione pignoris in concursu creditorum.

§. 21.

Continuatur remissive. §. 22.

Quid de retentione pignoris ordinet Statutum Hambur-  
gense. §. 23. 24.




**ULB Halle**  
001 601 61X

3



TA->OC





3,424  
447  
1764,2  
20

B.I.G.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**IVRE RETENTIONIS**  
IN  
**CONCVRSV CREDITORVM**  
QVAM  
ASSISTENTE NVMINIS DIVINI GRATIA  
EX DECRETO  
AMPLISSIMI IVRECONSULTORVM ORDINIS,  
IN  
**ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA**  
PRAESIDE  
**AMANDO CHRISTIANO DORN, D.**  
ACADEMIAE PRO-CANCELLARIO  
ÆSAREÆ CELSITVDINI A CONSILIIS STATVS, IVRIS PVBLICI  
ET FEVDALIS PROFESSORE ORDINARIO ET FACVLTA-  
TIS IVRIDICÆ PRIMARIO ET H. T. DECANO,  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQUE IVRE CONSEQUENDI HONORES  
DIE III. NOVEMB. ANNO MDCCLXIV.  
PVBLICO ERVDTORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**CAROLVS ANDREAS HOEFER.**

KILONII, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII,  
ACAD. TYPOGR.